



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

2. Et ad Gersonis Auctoritatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

desunt? aut qui Codices majorem fidem merentur, quam quibus stylus, character, antiquitas, ac locus ipse fidem conciliat? constat enim omnia Conciliorum acta Romam mitri solita, quod, ut alia omittam, de Nicæna prima & octava Synodis ex (a) actis ipsorum Conciliorum, & Anastasio certum est. Et planè in nullo Concilio major necessitas recurrendi ad Autographa Codicèsq; manuscriptorum, ut in Constantiensi; hoc enim jussu Patrum Basileensium typis vulgari cœptum est; quippe cum auctoritatem suam apud pleròsq; contemptui esse viderent, ut eam casui vicinam fulcerent, ac Cathedram Petri, quam suis non poterant, alienis viribus concuterent; Synodi Constantiensis typis evulgandæ consilium cœpere. Delecti ad hoc opus Cardinales duo, toridemque Episcopi & Doctores, & Archidiaconus Zagabriensis, qui Synodi Decreta ex actis Constantiensibus extraherent. Id ab illis perfectum Anno 1442. & Codex, quem conscripserant, bullâ plumbeâ, filoq; serico firmatus, & à Deputatis subscriptus. Ex hoc aliud exemplar Johannes Hober ex Inderdorff manu propriâ descripsit, quod cum Originali convenire testatus est Matthias Strinbach; & anno 1499. hoc ipsum exemplar typis mandatum est in Imperiali oppido Hagenow, & deinceps aliæ editiones omnes, quæ cum auctores habuerint ipsos Basileenses, Pontifici Romano hostes implacatos, pronum est videre, quanta necessitas fuerit manuscriptos Codices consulendi, credendiq; libenter ab ijs ea omnia omissa, quæ Pontifici favere possent. Nec obstat, quod de longa possessione memorat Maimburgus; nullo enim tempore veritati præscribitur; alioquin Americam, Brasiliâmq; negabimus repertas esse, quia olim invisas, occultasque: quod si tempus nihil obfuit quærentibus terram, cur obstitit quærentibus veritatem? & idèò eleganter Tertullianus lib. de præscriptionibus: *Sempiterna quadam res est veritas, cui nemo præscribere potest; non spatium temporum, non patrocini. Personarum, non privilegia Nationum.* Et S. Augustinus in Psalm. 61. *Licet veritas latere potuerit, vinci non potuit.*

II. *Opponit 2.* (b) Auctoritatem Joannis Gersonis doctrinæ & pietate celebris, qui in sermone coram Concilij Patribus habito

secundâ

(a) V. Acta Concil. Nicæn. lib. 3. & Turrian. proëm. in Canon. Syn. Nicæn. & Anastas. præfat. ad 8. Synod. (b) Maimb. Traittè histor. ch. 23. fol. 203.